

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0499

Sabato 27.08.2011

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIAUTO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL VI CENTENARIO DEL "MIRACOLO EUCARISTICO DI LUDBREG" (CROAZIA) (4 SETTEMBRE 2011)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIAUTO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL VI CENTENARIO DEL "MIRACOLO EUCARISTICO DI LUDBREG" (CROAZIA) (4 SETTEMBRE 2011)

In data 2 luglio 2011 il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato dell'Em.mo Card. Jozef Tomko, Prefetto emerito della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive dell'anno giubilare nel VI centenario del "miracolo eucaristico di Ludbreg", che si terranno nel Santuario di Ludbreg (Diocesi di Varaždin, Croazia) il 4 settembre prossimo.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici della Diocesi di Varaždin:

- Rev.do Mons. Ivan Godina, Vicario generale della Diocesi;
- Rev.do Sac. Damir Bobovec, Bibliotecario e archivista diocesano.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Jozef Tomko:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IOSEPHO S.R.E.CARDINALI TOMKO
Praefecto emerito Congregationis pro Gentium Evangelizatione

Laetanter accepimus die IV proximi mensis Septembris huiusce anni in Sanctuario paroeciae "Ludbreg", intra fines dioecesis Varasdinensis in dilecta Croata Natione sito, expletum iri annum iubilare sextum ob revolutum saeculum a prodigio eucharistico, quod ibidem, ut fertur, mirabiliter evenit.

Ad Sanctuarium idem, ut novimus, convenient plurimi Praesules, sacerdotes, religiosi viri ac mulieres et Christifideles laici ex ipsa Croatia et finitimus regionibus, sicut solent quotannis quam plurimi advenire prima "Sancta Dominica" Septembris, ad pie recolendam reliquiam pretiosissimi Sanguinis Christi, qui ex vino mero est mutatus, celebrante quodam sacerdote dubitante de praesentia reali Nostri Redemptoris.

Quo prorsus hisce celebritatibus maior adderetur nitor, Venerabilis Frater Iosephus Mrzljak, Episcopus memoratae dioecesis Varasdinensis, collato consilio cum Venerabili Fratre Nostro Iosepho S. R. E. Cardinale Bozanić, Archiepiscopo Metropolita Zagrebiensi, a Nobis petivit ut tu, Venerabilis Frater Noster, qui claris mentis et cordis dotibus ornatus functus es maximi momenti muneribus in Curia Romana et Nobis uti Pater Cardinalis adsis proxime ac fideliter et qui illustris es filius Slovachi populi, fraternali et fere propinquum cum Croato, Missus Extraordinarius constituaris qui Nostram gerens personam sollemnibus istic agendis praesis.

Nos igitur libenti cupientes animo enixam postulationem audire, hisce Litteris summaque Apostolica potestate, te nominamus MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM ad sollemnibus, quibus explebitur memoratus annus Lubilaei, praesidendum, peculiaribus tributis iuribus et facultatibus huiusmodi muneris propriis, dum non dubitamus quin hoc creditum quoque munus laudabiliter sis exsecuturus.

Nostro igitur nomine participes comiter salutabis itemque adhortaberis ut Sacrificium Eucharisticum colant tamquam "totius vitae christiana fontem et culmen" (*Lumen gentium*, 11): sine Eucharistia enim haud possumus esse vere Christiani et Ecclesia ipsa haud aedificari potest in hominum salutem.

Audiantur ceterum et resonent in adstantium cordibus paeclarissima Domini Nostri verba: "*Ego sum panis vivus, qui de caelo descendit. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum... Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*" (*Io 6, 51.56*).

Hisce igitur divinis verbis moniti atque formati, studeamus omnes magis magisque panem eucharisticum sumere, venerari et adorare ut nostra vita hic in terra plene nutriatur sitque intime coniuncta cum Christo et parata simul ad vivendum sicut Ille vixit et ad amandum sicut Ille dilexit, ita ut digni efficiamur ingredi in vitam aeternam, videlicet esse et gaudere cum Deo, Cuius essentia est Amor.

Quem benignissimum Patrem enixe precamur ut ex iubilaris anni sollemnibus uberrimi spirituales fructus orientur, dum, auspice de caelo Beata Maria Virgine, cuius hodie memoramus Immaculatum Cor, tibi, Venerabilis Frater Noster, ac per te sollerti Praesuli Varasdinensi cunctisque participibus Apostolicam Benedictionem, peculiaris dilectionis Nostrae testem ac supernae gratiae auspicem, effusa caritate impertimur. Vale!

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Iulii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP XVI

[01209-07.01] [Testo originale: Latino]